



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis  
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de  
monte Carmelo**

**Trithemius, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1643**

Cap. XI. Ad Carmeli montis laudem per apostrophen peroratio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](#)

imo terram, iuxta quam erant duo sancti Ordinis Carmelitarum, qui dixerunt ei, si vis per hanc scalam ad Cœlum ascendere, sume habitum Tertiario-  
rum B. MARIAE Virginis de monte Carmelo: sumpsit illa, & cum maxima sanctitatis opinione obiit in Sicilia die 21. Octob. 1556.

## CAPUT XI. ET ULTIMVM.

*Ad Carmeli montis laudem per Apostrophen  
peroratio.*

**A**d extremum, ut iam dicendi vela contra-  
ham, ad te mons CARMEL, qui cognomen  
Dei parenti dedisti, ac tam innumerabiles  
Martyres, Confessores, ac Virgines peperisti, ser-  
monē cōuerto. O mons CARMEL monasticę disci-  
plinę exordium, perfectionis Magisteriū, ac omnis  
virtutis fulgentissimum spectulum, o mons CAR-  
MELE, magni Patris ELIA domicile, ubi austeri-  
tatis, & pœnitentia, ac cœlestium arcanorum con-  
templationi assidue deditus, cœnobitico statui  
primordia dedit; o celebris mons Carmele, in quo  
in nouissimo tempore Ioannis Baptista vox illa cla-  
mantis in deserto prodijt: Pœnitentiam agite, appro. Matth. xi.  
pinquauit Regnum Celorum; ex tunc enim armo-  
rum spiritualium fragor insonuit: ex tunc instru-  
menta bellica religiosæ militiæ ad victoriam de  
hostibus comparandam, perstrepere cœperunt, ex  
tunc fortes in bello facti sunt ad expugnandum,  
non terram promissionis, sed cœlestem patriam,  
Christo Domino dicente: A diebus Ioan. Baptistæ,  
Regnum Celorum vim patitur, & violenti rapiunt Matth. xii.  
illud. O mons Carmele, vel eo solum nomine sin-  
gulari veneratione digne, quod sacello Deipara  
Virgini dicato, sacer factus sis, & Marianis fauori-  
bus locupletatus. O tandem sancta Carmelitana Fa-  
milia: Tu mihi videris alter mons Carmelus, celsi-  
tudine sanctitatis, & decoro virtutum ei persimilis:

fin

286 DE SACR. ANTIQUIT. ORD. CARM.  
si in illo auri , & argenti spiritualia mineralia deli-  
tescebant, hæc in te non desiderantur, cum cælesti-  
bus diuinorum charismatum diuitijs, Apostolicis  
priuilegijs, ac plenissimis indulgentijs affluas, quæ  
Carmelitano habitu induti , vel Basilicas eorum vi-  
stantes, vel certè fratres eius protegentes, auctoritate  
quois iuuantes, quotidie lucrantur: quod si  
mons ille *Carmelus* arborum amœnitate, ac her-  
barum suaveolentia , degentium in eo animos ob-  
lebat, sanè Carmelitarum Ordo viridarium est  
amœnissimum, ager fæcundissimus , cum tot san-  
ctitate, & doctrina conspicuos viros, velut fructife-  
ras arbores , ac tot fœminas mira virginitatis su-  
aveolentia fragrantes germinarit : quare cum hi  
omnes Carmelitanæ Religionis alumni, Deiparæ  
Virginis speciali ratione , se deuouerint, ac eius ob-  
sequio , & famulatu perpicio se sacrauerint, recte  
in hanc sacram Religionem conueniunt verba illa:

*Isai. 15.*

*Judith 25.* *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron;*  
cū reuera ipsa Virgo præcipius sit Carmelitanæ  
Familia splendor, honor, & pulchritudo; vnde me-  
rito vobis intonare licebit illud, quod olim ad lu-  
dith, Virginem adumbrantem dictum fuit; *Tu glo-  
ria Hierusalem, tu latitia Israel, tu honorificentia po-  
puli nostri.* Licebit & dicere, te MARIAM Matrem,  
& nutricem diuinitus datam , habere gloriamur:  
maternam tuam pietatem in filios exerce , ad te  
confugimus, auxilium tuum imploramus, vt sicut  
regia munificentia , singulari filiationis tuae gratia  
in terra nos exornasti, ita eiusdem filiationis hæ-  
reditate in Cælo gaudere facias , quam nobis largi-  
dignetur, qui cum Patre , & Spiritu sancto  
vivit, & regnat in sæcula sæculorum.

AMEN.

Finis Primi Tractatus.

R. P.